

phæum S. Crucis in ianuis substituerunt; signum præpotens ad arcendum omne genus veneficiorum.

IANITORES.

Videatur Locus de Operis mechanicis, quæ versantur circum inanimam artificialem. Crudeles erga Ianitores. Quære in Loco de Crudelitate.

* Ianus.

QVIS, EIVSQVE SIMVLACRVM, ET IMAGO.

DE Iano varia commenta & opiniones diuersas legere est: dum alij mundum, alij cælum ipsum, alij Solem esse contendunt.

MACROBIUS asserit fuisse Regem in Italia, qui primus templa diis edificauit, & agriculturam inuexit, & cum Saturno ibidem regnauit: ob cuius prudentiam & futurorum prouidentiam, eidem affingebant duo capita, quorum illo præterita, isto futura prospiceret.

Veteres tamen intelligebant Noë, atque ita eum olim Gentiles nuncupabant, teste Berofo Anniano: dictumque volunt hoc nomine, eò quod Noë plantauerit & primus vineam excoluerit, vinumq; mundo adtulerit. Vnde Hebræa vox Iain, vel Ien, vinum significat. Ianus itaque idem quòd vitifer, & mensum Ianuarium Noë consecratum olim fuisse, eò quod illo mense ex Arca venisset obseruat Torriellus in suo Chronico, alij tamen probabilius aliter sentiunt; cum Noë egressus scribatur ex arca mense secundo, qui non fuit Ianuarius.

Fingebant autem Noë bifrontem quod sæculum vidisset ante & post diluuium. Hinc Poëta lib. 1. Faistor. de Lano cecinit: *Iane biceps anni tacite labentis origo.*

Solus de superis qui tua terga vides, &c.

Fingebant Ianum Ianiarum præsidem & Custodem, anni Ianitorem, huic & clauē instar sceptri appingebant. Iustus Lipsius V.C. quem imitati alij: idcirco statuum Iani hortu suo quem Lugduni Bataurum exculum habebat, in accessu collocabat, qui & introitibus ediceret, quomodo se gerere in hortu volebat: addens coronidem hanc. Quoquò te agis, te video, & paulò antè. Tu qui seriosus, tu qui rixosus, Exeste, Clusius, ego sum vobis, nempe Iani capitibus indita nomina Clusius & Patulcius: à claudendo, & aperiendo siue patefaciendo.

Ianus etiam locus erat Romæ in regione fori, ad quem mercatores & fœneratores conueniebant. Et apparere duos Ianos, in Italia fuisse, Inferiorem & Superiorem. Imo etiam spatium inter illa duo Ianum medium appellatum. Turnebus lib. 26. cap. 26.

Sunt qui Ianos vocant Portas illas magnas, quæ in viarum initis extrui olim solebant, vnica tantum Ianuâ aditum præbentes, quas Portoni vulgas Itolorum appellat. Fornices Dion in Nerua vocat, & probatur auctoritate Ouidij l. 2. Faistorum. *Carmenis porte dextro est via proxima Iano: Ire per hanc noli, quisquis es, omen habet.*

Plerique nostro æuo nouitatis auidi, Ianum pro Ioanne vsurpant, nescio an veterum exemplo, meminit Scriptura veteris & noui Testamenti nominis Ioannis, sed Ianum non agnoscit, neque ea contractio apud Latinos in vsu est, cum terminatio dictionum non conueniat. Germanica igitur fuerit, qui Ioannem Ian appellat communitur.

Haud ita pridem vir integerimus qui Ioannis nomine innotuerat, dum ab amico Ianus saluaretur, eisuccensuit, & velut de contumelia expostulatus, quo eum bifrontem, & velut duplici facie, ita (vulgus dicere consuevit de subdolis & minus sinceris) insimularet.

* IANI TEMPLVM.

NUMA POMPILIUS Iano templum extruxit; quod Romulo alij adscribunt, contra Sabinos pugnaturo. Quod quidem templum claudebatur tempore belli, in pace aperiabatur. Fuit autem tertio clausum, tempore Numæ: post bellum Punicum secundum; & post bella Æthiaca quæ confecit Augustus. Rationem huius templi claudendi vel aperiendi, variam assignant. Videatur Seruius. Ego veriorè eam existimo, quod hoc velut symbolo significabatur, euntem in prælium, sperare se incolumem & victorem reuerfurum.

L. B. Theat. vitæ. Etrurian. Tom. IV.

Ianuarius.

Pete Locum de Mensibus Nempè que illo mense acciderint magis notanda.

IANVARI CALENDÆ.

PRÆ Calendis aliis, certè Ianuarij Calendæ celebriores habentur. Illis enim Deuteronomium Moyses populo promulgauit. Vndecimo enim mense prima die mensis ait, *Script. Deut. cap. 1.* cum autem primus mensis Hebræorum fuerit Nisan, vndecimus erat Ianuarius. Itaque Calendis Ianuarij populo lex vetus fuit annuntiata.

Huius autem rei, figuram impleuit Saluator noster hoc eodem die, nouam legem sanguine suo in circumcissione sanciendo, & vitæ Christianæ velut exordium exhibendo.

Ab hoc die Romani annum auspiciati fuere, quod exordium etiam Ecclesia obseruat, & perinde ac olim apud Hebræos, apud quos Martius anno dabat auspiciam; primus anni dies sanguine dedicatur, cuius figura erat Paschalis agni immolatio. Sunt qui Numæ Pompilio adscribant hoc anno, exordium: Iulio Cæsari vero alij. De quo vide nonnulla in Loco de Anno. Item alias harum Calendarium prærogatiuas, *pete ex sapro allegato loco de Mensibus.*

* Ianizari.

QVI QVOD EORVM MVNVS.

IAnizari sunt Christianorum filij, in re militari exercitissimi, pedites plerumque præsidarij Imperatoris Turcici, in quibus firmissimum ipsius præsidium consistit, suntque ordinariè num. 12000 iuxta Lonicerum lib. 1. de reb. Turc. Christianorum enim liberòs, quos vel ratione annui tributi, vel bello accipit, curat Imperator instrui bellici artibus: eorumq; fidei se committit, cum sint robustissimi milites, & in pugna velut triarij in finem referentur. Præter illa 12000, sunt insuper 10000, qui ætate minores sunt iis, qui Imperatorem comitantur, hinc inde per arces & oppida hosti oppositi, distributi. Insuper 10000, iuuenum, qui ad militiam formantur assidue, suppleunt, si qui ex classibus superioribus deficiunt. Sunt præterea 6000, qui præcipuas arces tuentur. Atque hi omnes nulli subsunt, sed immediatum suum Dominum Imperatorem agnoscunt: & vniciuique stipendia pro sua fortitudine & ministerio decernuntur.

* INSTITVTIO. ORDO. HABITVS.

Ordinem Ianizarorum primus Amurathes instituit, & ita semper ab alijs Imp. contiuuatus, quod in iis robur exercitus sui collocent. Semper deni in vno contubernio coniunguntur, qui sibi eligunt decurionem, & singulis munus suum assignat. Dux omnium qui maximè est auctoritatis, Aga appellatur. Eliguntur autem ex Ianizaris satellites Imperatoris, qui cæteris & proceritate corporis, & rerum bellicarum peritia excellent, laterique Imp. proximi incedunt, neruo semper impositam gerentes sagittam. Alioquin cæteri sclopeto amantur in locum arcuum, & hastarum: nisi quod acinacem, vel exiguâ securim habeant. Pro galea est ipsi peculiare capitis tegumentum, quod Exarcolam dicunt: colere album, ex coacta lana crassiore ad eò densatum, vt sit acinace impenetrabile, à tergo demissa latior cauda cernices munita: fronte verò aureus vel argenteus conus cristas sustinet, & hæc breuiter de Ianizaris. *Uide nonnulla in Loco de Turcis.*

* Iberi.

QVI VNDE DICTI.

Iberi duplices sunt: Asiatici quidem iuxta Pontum Euxinum habitantes: alij Europæi, qui Hispaniam incolunt, neque constat an hi ex illis, an verò è conuerso ex his illi originem suam deducant.

Orti autem sunt Iberi, vt testatur Mariana, Deltio, & passim alij: à Tubal filio Iaphet, dictique Iberi quasi Ibeli, vel Tiberi. Ita Cornel. à Lapide in Comment. in Pentateuchum in c. 10. Gen. Iustinus tradit Hispaniam primum Iberiam appellatam ab Ibero amne, alij à rege illius nominis. Sunt qui Cæcum & Iberum filios Herculis dicunt ex vxore barbara.

bb 3

Icon.